Universitätsbibliothek Paderborn

# Tractatus Theologico-Moralis De Sacris Ecclesiasticorum Ministeriis, Hoc est, De Horis Canonicis, & Missæ Sacrificio

**Biesmann, Caspar**

**Coloniæ Agrippinæ, Anno 1695.**

Caput IV. Quâ ratione censeantur Horæ devotè recitari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42206

Visual Library

# CAPUT IV.

## *Quâ ratione censeantur Horæ devotè recitari.*

DEvotè recitabuntur, si cum debita attentione & reverentia dicantur, nam ad orationem tanquam ad actum religionis, requiritur reverentia. Est autem attentio duplex, alia externa, quâ quis attendit ad pronunciationem verborum & decentem corporis compositionem, simúlque abstinet ab illis operibus, quæ cum attentione interna consistere nequeunt, qualia sunt fabulari, pingere, scribere, &c. alia interna, quâ attenditur vel ad Deum, aut res divinas, vel sensum verborum, vel denique ad ipsa verba cum intentione & & animo orandi & vacandi Deo. Quæ intentio quia includit attentionem animi saltem confusam ad Deum, ut patet, attentio ad verba cum prædicta intentione & animo orandi & vacandi Deo, censetur esse attentio interna, & distinguitur ab attentione merè

Dicentur devotè, si cum debita attentione & reverentia dicantur.

Statuitur duplex attentio.

externa, quâ ad sola verba attenditur absque ulla animi attentione ad Deum. Sufficere attentionem merè externam ad recitationem Horarum multi DD. probabiliter sustinent, quos citat *Less. l. c. d. 11.* eò quòd Ecclesia videatur præcipere preces solùm materiales, illis non dissimiles, quæ alternatim organo, aut alio musico instrumento fieri solent; Sicut enim per has laudari Deus & aliquid ab eo impetrari potest, ita quoque per illas. Undè juxta hanc sententiam voluntariè sub Officio divino distractus non peccabit graviter, nec obligabitur ad quicquam repetendum, aut faciendam fructuum restitutiorem, modò integrè omnia pronunciaverit, neque exteriùs sese occupaverit actionibus cum attentione interna incompatibilibus. Verùm sententia contraria requiri attentionem internam ad recitationem Horarum verior est & probabilior, quia oratio merè externa absque interna animi attentione non est oratio, sed simulatio orationis; Undè qui solam externam speciem orantis assumit, non potest dici devotè orare, cùm ora-

Estne sufficiens attentio merè externa ad recitationem Horarum.

Probabiliùs & veriùs requiritur interna.

tio ſit mentis in Deum elevatio, vid. *Leſſ. l. c.* Sufficere autem attentionem internam modò dictam ad ſola verba (quamvis ea, quæ eſt ad ſenſum verborum, ſit optima. Si hunc non aſſequaris, melior erit illa, quâ, dum verba pronuncias, attendis ad Deum aut res divinas, de his pii aliquid animo volvendo aut meditando) docet *Leſſ. l. c. Sanch.* & plures alii, quia ſic attendens cenſetur verè orare & mentem in Deum levare. Ex quo apparet, quàm facilè ſatisfieri poſſit præcepto Eccleſiæ, cùm hæc plus non exigat, quàm ut animo orandi & laudandi Deum ſacra verba pronuncies, nec voluntariè quicquam animo volvas, quòd neceſſariam attentionem ad verba & reverentiam ad Deum excludat, & rariùs evenire ſoleat, ut animus omninò voluntariè volvat aliquid, quòd neceſſariam attentionem ad verba & reverentiam ad Deum impediat. Nam imprimis quævis tenuis attentio ad verba, quæ periculum errandi in his removere poteſt, ad ritè orandum ſufficit, ut patet in illis, qui dum verba pronunciant, cogitationi-

Sufficit tamen ea, quæ eſt ad ſola verba.

bus de Deo aut rebus divinis occupantur. Ad hæc animus laudandi ſive vacandi Deo cum levi & tenui diſtractione ad alia objecta etiam aliquo modo voluntaria ſtare poteſt. Manet ſiquidem cum hujuſmodi tenui diſtractione confuſa quædam attentio ad Deum, in qua ſuprà, attentionem internam ad orandum neceſſariam, conſtituimus. Porrò non revocatur animus orandi ſive vacandi Deo, niſi per actum dictæ voluntati contrarium, ut ſi verba ſolùm pronuncies non animo orandi, ſed eadem ediſcendi, aut animum omninò voluntariè occupes rebus profanis, & alienis à Deo cogitationibus. Quia hoc ipſo, quòd omninò voluntariè vacas rebus profanis, cenſeris implicitè revocare voluntatem orandi, quæ voluntas expreſsè revocatur, ſi nolis ad Deum attendere, implicitè ſi advertens animi diſtractionem, negligas mentem ab objecto cogitato avocare. Si invitè & non advertens diſtractionem pateris, oratio ſubſiſtit coram Deo. Sufficit enim in hoc caſu attentio virtualis, quæ ex voluntate vacandi Deo à principio elicita manet per totam

*Attentio interna quâ ratione revocetur.*

*Quid ſi quis invitè & non advertens diſtrahatur.*

totam orationem, nisi explicitè aut implicitè revocetur; Non est autem necesse, ut sub initium orationis distinctè exprimatur voluntas vacandi Deo, sed sufficit, si intendas dicere Officium more debito & consueto, sive velis orare Horas tuas, nam in hujusmodi voluntate implicitè continetur voluntas orandi & vacandi Deo. Pro sincerissimo cordis mei affectu, quo optimum Deum ab omnibus attentè orari & laudari desidero, minimè præterire possum facillimam praxim, cavendi plurimas sub oratione occurrentes distractiones, non semel à me cum fructu usurpatam. Quæ in eo consistit, ut per decursum Horarum, aut aliarum precum advertas ad eas voces, quæ à certa litera ex alphabeto assumpta inchoantur, v. g. primâ die advertas per omnes Horas ad voces à litera A incipientes, secundâ à litera B cœptas, tertiâ à litera C, & sic deinceps usque ad finem alphabeti exceptis tribus postremis, x, &c. quæ in latinis vocibus rarius inveniuntur. Nam hac ratione alligata quodammodo ad certam literam phantasia vix fiet, quin

Opportuna praxis cavendi distractiones sub precibus.

sufficienter attendas ad verba, & cum verbis, si illa intelligas, eorum quoque sensum assequaris.

---

## CAPUT V.

*Statuuntur causæ, propter quas divinum Officium sine peccato omitti potest.*

Omitti possunt, si dici nequeant absque notabili læsiõe ne valetudinis.

CAusæ justæ, ob quas citra peccatum Officium divinum omitti potest, sunt sequentes. Primò, si absque notabili dolore capitis, oculorum, læsione valetudinis, aut aliâ gravi molestiâ dicere non possis, in dubio standum est judicio superioris, confessarii, aut prudentis & probi medici. *Azor tom. 1. lib. 10 cap. 13. q. 1. Nav. Svarez* &c. Quòd si ipse medicus dubitet, sítne infirmitas gravis aut levis, non erit obligatio recitandi, quia non teneris periculo gravis damni v. g. valetudinis notabiliter lædendæ te exponere, vid. *Tamb. in decal. lib. 1. cap. 3 §. 7.* Secundò, si gravis mali periculum immineat ex recitatione Horarum v. g. carceris, mortis, &c. inter infideles, aut hæreticos. Tertiò, si gravis aut repentina occupatio, qualis foret, populi

Aut si gravis mali periculum immineat ex recitatione Horarum.